

**D. Francisci Caroli Naegele professoris Heidelbergensis epistola ad
Theodorum Fridericum Baltz ... qua historia et descriptio aneurysmatis,
quod in aorta abdominali observavit, continetur.**

Contributors

Naegele, Franz Karl, 1778-1851.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Heidelbergae : [publisher not identified], 1816.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kf2peadj>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2.

D. FRANCISCI CAROLI NAEGELE

PROFESSORIS HEIDELBERGENSIS

E P I S T O L A

AD

THEODORUM FRIDERICUM BALTZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOREM,

QUA

HISTORIA ET DESCRIPTIO

A N E U R Y S M A T I S,

QUOD IN

A O R T A A B D O M I N A L I

OBSERVAVIT, CONTINETUR, ADDITA TABULA AENEA.

C

HEIDELBERGAE MDCCCXVI.

not in the library

2

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22393547>

VIRO DOCTISSIMO
THEODORO FRIDERICO BALTZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

S.

FRANCISCUS CAROLUS NAEGELE.

Nihil poterat contingere mihi exoptatius, quam ut, quo tempore Decanatus ordinis nostri munereungebar, mihi potissimum injungeretur officium summis in arte medica Te ornandi honoribus. Quorum quidem honorum causa, quibus longe dignissimum Te esse et reliqui collegii medici in alma nostra Academia Ruperto-Carolina professores et ego ex doctis Tuis et scitis responsionibus ad quaestiones a nobis in examine propositas cum summa voluptate cognovimus, Tibi gratulor ex animo et vehementer, fortunatissimos simul praedico illos, quibus Tu,

utpote eximius artifex, in valetudine tuenda et restituenda salutaris artis, in qua tantopere excellis, opem feres et auxilium.

Ut igitur illum, quo Te amplector, amorem eamque amicitiam, qua animum meum commotum sentio, palam tibi significem, exstetque monumentum qualecunque ejus, qua Te colo, observantiae; hanc Tuo nomini inscribo explicationem tumoris Aortae, dignissimi quem, quotiescunque accidat, scrutentur accuratius medici. Nimirum quanto saepius illis tumoribus, quos aneurysmata appellamus, pars magnae arteriae vicina cordi affligitur, tanto rarius animadvertuntur in remotissima Aortae parte. Neque omnino, ex quo viri immortalis Antonii Scarpa de aneurysmatibus opus ingentem excitavit controversiam, quidquam videri potest exiguum et inutile, quod, quamvis sit levissimum, prodesse possit ad cognitionem hujus materiae augendam. Atque illa quidem est ratio, qua adducor, ut credam, gratas fore et acceptas peritis doctisque medicis has de aneurysmate Aortae, quod ipse vidi et scrutatus sum, observationes qualescunque. Illud vero doleo, quod eam mulierem, quae illo morbo, quem descripturus sum, laboravit, neque tempestive satis, neque tam diu, quam optandum fuisset, observare mihi concessum fuit.

Femina, in qua rarissimum hoc phaenomenon pathologicum repertum est, licet columna vertebralis scoliosi paululum detorta fuerit, statura magna, ossium structura firma, gracilis et ceteroquin bene conformata erat. Triginta tres annos habuit, cum exstincta est. Familia, unde nata erat, liberorum copia gaudet. Parentes ejus eo tempore, quo generabatur, jam aetate proveci fuerunt. Pater, qui anno aetatis septuagesimo secundo hydrope pectorali est exstinctus, jam tum arthritide saepius laborabat, cum ipsa ejusque frater, natu minimi, procrearentur. Ambo etiam, frater vero maxime, rheumaticis et arthriticis affectionibus laborarunt, quarum in ceteris liberis prius natis, quam pater arthritide afficeretur, nullum vestigium exstabat. Cum patris mortui corpus dissecaretur, aorta arteria plures pollices in longitudinem plane ossefacta et ossei canalis instar inveniebatur.

De vita ante acta et de priori valetudinis statu et conditione cognati ejus haec fere retulerunt: Dentitio multis conjuncta fuit difficultatibus. A quinto ferme aetatis anno usque ad sextum oculorum inflammationibus saepe afficiebatur. Nec prius in regione thoracis parva ista columnae vertebralis flexura animadvertebatur, ad quam sanandam ex medici consilio strophium

adhibebatur. Ab anno decimo quarto usque ad aetatis decimum septimum minus valebat, et saepe oedema pedum, qui simul fusci coloris maculis obsiti erant, accedebat. Menstruatio, quae anno decimo septimo prima vice apparuit, per totam vitam a regula nunquam aberravit. Usque ad aetatis annum vigesimum secundum, quo tempore matrimonium iniit, item primis matrimonii annis, praeter febrim nervosam et rheumaticos dolores, bona valetudine utebatur. Constitutione corporis erat robusta et specie eximia. Quod attinet ad animi temperationem, haec mulier erat severa, moesta et in phantasiae lusus facile aberrans. Praecipuae erat indolis, aliorum hominum et commodis et miseriis facile movebatur, quippe quae, ut cum Terentio loquar, «nihil humani a se alienum» putaret. Connubium erat felix. Maritus aetate aequali, cum ad hypochondriam et morositatem esset propensus, nec uxoris animum exhilarare, nec laeta et jucunda animi pathemata excitare poterat. — Rebus domesticis obeundis occupata esse solebat. Per fortunarum statum valetudinis curam gerere satis potuit, cui quidem nimis justo serviebat. — Neque ipsa neque ejus propinqui et necessarii recordabantur, illam unquam mechanicae potentiae, unde, quod noceat, pertimescendum esset, obnoxiam fuisse, ictu vel pulsu vel alio quo impetu laesam.

Prima graviditate augebantur tristitia et morositas. De angoribus nonnunquam querebatur. Septimo mense exanimem infantem peperit manifesta putredinis signa prae se ferentem. Prior tamen valetudinis vigor brevi tempore rediit, et commo-
diore exin et firmiore valetudine, quam antehac, utebatur. Post annum fere praeterlapsum fusci coloris maculae in pedibus exulcerabantur, et cuique sanandi rationi resistebant. Ex quo tempore in genu sinistro tumor permanens, qui pro coeli ratione modo auctus modo imminutus, neque tamen unquam penitus evanescens. — Alterius graviditatis exitus idem fuit: exanimem peperit fetum, eumque mense octavo. Praecordia per hanc graviditatem vehementius etiam premebantur angoribus, metu feminae auctis, ne iterum exanimem infantem ederet. Unde languor animi et morositas ad summum pervenerunt.

Tertius partus prioribus quidem non felicior. In unaqua-
que graviditate angores valde exasperabantur, et intolerabili misera metu vexabatur. Medicamentis itaque saepius utebatur, et medicos, viros amplissimos et gravissimos, coge-
bat, ut illa sibi praeberent, cum et vitae nimis cupida esset et nihil vehe-
mentius optaret, quam ut vivum eniteretur infantem. Etsi celsiore figura fuit, neque, praeter altiore sinistrae coxae statum,

in conformatione pelvis ulla enormitas (abnormitatem dicunt) detegi potuit, tamen, cum quarto ventrem ferret, medici suadebant, ut saepius supina cubaret, quia quandam pelvis deformitatem causam esse infelicitis graviditatis eventus judicabant. Quod consilium ipsa tam accurate secuta est, ut per quatuor menses in situ horizontali paene continenter supina cubaret, licet multa cum hoc situ conjuncta essent incommoda, et anxietates magno-pere adaugerentur. Jam eo angores pervenerunt, ut ardente facie et toto corpore tremens animam agere videretur. Quatuordecim fere diebus ante naturale parturitionis tempus doloribus partus afficiebatur, qui paulo post evanuerunt, et octo diebus praeterlapsis rursus exanimem infantem peperit. Qua de causa ad summum morositas progressa est. Ad reficiendam valetudinem praeter plura medicamenta etiam balneorum usus, sed frustra, adhibebatur.

Quinta, quae ultima fuit, graviditate angores magis etiam augebantur. Horribili metu, ne rursus exanimem infantem procrearet, tristitia et omnibus irritatae phantasiae imaginibus et continenter et crudelissime vexabatur. Quoniam tribus prioribus graviditatibus decem aut quatuordecim dies ante naturale partus tempus doloribus et parturitionis conatu

afficiebatur, qui uteri orificium ad partum ipsum efficiendum satis aperirent, tum autem dolores hi disparebant, et exanimis infantis partus semper consecutus erat; hac graviditate id potissimum faciendum medici arbitrabantur, ut initium dolorum partus curiose observarent. Qui cum ipsi quatuordecim diebus ante justum graviditatis finem orirentur, uterique orificium se aperire coepisset, quo tempore parturiens motum infantis distincte sensit, infantis versio instituebatur. Infans valde macilentus revera levia vitae signa prae se ferebat. Placentae textura firma, densa et acuto solidoque et paene cartilaginoso margine cincta, cujus interna structura eadem fere fuit, quae steatomatis est. In placenta ipsa ejusque superficie multa quasi ossea vel potius terrena concrementa inveniebantur. Eadem placentae conditio in superioribus fuit partibus.

Ad oedema pedum aegrotans valde propensa erat, id autem tempore graviditatis semper magnopere adaugebatur. Interdum tamen pedes non intumescebant. Non raro pedes exulcerabantur, idque autumnis fieri solebat. Quod quatuor ultimis vitae annis, id est post ultimum ejus partum, nunquam contigit. Cum pedes intumescerent, minus ea angebatur, pectusque erat liberius. Pedes ipsi semper sicci, frigidissimi. Eorum cutis

sicca, aspera, membranacea, saepius rugosa et crusta, quae calci erat similis, obsita, epidermis interdum sese desquamabat, ita ut ultimis vitae annis plane vetulae esse pedes viderentur.

Quatuor vel quinque ultimis vitae annis affligebatur palpitatione cordis, quae quidem saepius diu intermitteret, sed semper vehementior evaderet et frequentius recurreret simul cum aequali, fortiori tamen, in abdomine pulsationis sensu. Maritus ejus hanc pulsationem se jam ante observasse dicebat. Ab initio palpitatione tantummodo sentiebatur, quum cubitum iret. Sensim frequentius eam invasit. Interdiu etiam, sed rarius et minore vi accessit, et si per diem nullum palpitationis vestigium apparuerat, semper illa, simul ut noctu decubuit mulier, rediit. Quodcunque animi pathema palpitationem cordis aut excitabat aut, cum aderat, adaugebat, idemque in colloquio alacriore, post alvi exonerationes et tribus ultimis vitae annis praecipue post coitum contigit. Coitu peracto, nisi totam se daret quieti, palpitatione eximie adaugebatur. Ultimis vitae annis facillime animus irritari atque commoveri potuit. Cujuscunque, ipsa praesente, morbi mentio fieret, eo se putabat laborare, et mortis timore continenter vexata fuit summopere. Accedebant angores,

pectoris adstrictio, sanguinis circulatio impedita, congestiones ad caput etc. — Medicus experientissimus et celeberrimus, cujus cura per tres annos ante mortem mulieris in ea sananda versabatur, quique, ab aegrotae domicilio duo miliaria remotus, illam non poterat observare continenter, hydropem pericardii esse putabat et huic diagnosi accommodabat medendi rationem.

Autumno anni MDCCCXII post coitum peractum palpitationis cordis acerrima exorta est, cum pectoris adstrictione et angoribus conjuncta, ita ut respiratio plane impediretur. Pallebat vultus, membra extrema erant frigida, rigebant oculi etc. Post aliquot dies melius se habebat. Impetuum vehementiorum hic fuit primus. — Autumno anni MDCCCXIII similis impetus, quum ad quietem iret, fuit, prioribus tantummodo major et quidem tam vehemens, ut animi sui plane non esset compos.

Duobus ultimis aetatis annis palpitationis cordis omnino vehementior atque vehementior fuit, interdum tamen minore vi, quam cum cubitum iret aegrotans. Coitu omnino fere abstinere debuit, utpote quo palpitationis vehementia semper adaucta. Medico cuidam eruditissimo et peritissimo, qui vere anni MDCCCXIV per dies octo aegrotae operam dedit, symptomata

morbi suspicionem moverunt, laborare eam aneurysmate Aortae, et sensus quidam molestus in regione arcus magnae arteriae, de quo querebatur mulier, atque impedita per vices et labefactata deglutiendi facultas illum adduxere, ut opinaretur, aneurysma sedem in Aorta thoracica habere. Idem medicus tum illis rationibus, quas dixi, tum opinione praejudicata, quam ex aneurysmate Aortae thoracicae haud ita pridem a se observato conceperat, ut ipse candide confitetur, adeo sibi imponi passus est, ut rem accuratius indagare et, quod ipse postea summopere doluit, explorare paene neglexerit abdomen.

Aestate anni MDCCCXIV palpitatione tantum non semper cruciabatur, et angores multo erant frequentiores. Undecimo die Novembris ipsius anni noctu impetus prioribus acrior subito eam afflixit. Per eam diem optime sese habebat aegra, cum plures visendi causa venissent, negotiis domesticis valde occupata. Ante coenam interque eam laeta erat et valde hilaris. Quum cubitum ibat, palpitatio orta est, quae, continuo adaucta, vehementior, quam unquam antea, evasit. Conjuncti cum ea erant summi angores, spasmi respirationis et vehementissima dyspnoea, spiritus haerebat, tremebat lingua, tremebant artus, distorquebatur vultus, convulsionibus extremitates conquassabantur,

obnubilabantur sensus et externi et interni, trismus, cibi, quos ceperat, multa pituita mixti per nares ejiciebantur. Et pallor et albor. — Jam mortuam eam medicus advocatus habebat. — Tardissime recreata est. Ex iis, quae ad me delata sunt, impetum ipsum, quaeque eum sequebantur, convulsionibus, quae ex vehementi uteri haemorrhagia in neoenixis oriuntur, similem fuisse judico. Diebus quinque post ad aegram arcessitus sum, quam per dimidium annum non videram. Vix illam cognovi. Facies pallida, plane mutata; ipsa valde emaciata. Minimus motus palpitationem cordis excitabat. Pulsus debilis erat atque vix detegi poterat, sine ullo typo, irregularis. Neque usque ad mortem, quae die vigesimo octavo ejusdem mensis consecuta est, unquam quidquam normalitatis in pulsu inveniri poterat. Spiritus erat liber; ipsa mentis compos; pedes gelidi. — In abdomine paululum ad latus sinistrum tumor oblongus, durus, a superiori ad inferiorem abdominis regionem versus, vehementer, sed normaliter pulsans, tangendo deprehendebatur. Pulsatio ita vehemens fuerat, ut utraque manus tumori imposita pulsum tollere aut saltem imminuere non posset. — Cum non dubia esset mali conditio, omnis cura in sublevandis miseræ doloribus ponenda videbatur. Leves palpitationis ictus

redibant. Tertia die ante obitum vespere magna virium debilitate et deliquio animi tam diu laborabat, ut jam exanimis haberetur. Recreata quidem est; ex hoc autem tempore vires vitales aperte minuebantur. Frequentes oscitationes, vomitus, aurium strepitus, visus obnubilationes, lipothymiae etc. vicissim oriebantur. Vigesimali octavi diei vespere rursus lipothymia affecta fuit, ex qua paululum tantummodo refocillata post aliquot horas levibus convulsionibus exstincta est.

Sectione cadaveris instituta, in cavo thoracis, si leves pulmonum ad pleuram adhaesiones excipias, nihil, quod memoratu dignum esset, inveniebatur. Justo paululum minus cor videbatur, et vasa majora sanguine omnino paene carebant.

Abdomine aperto, in regione hypogastrica tumor nigro-caeruleus, paululum ad latus sinistrum prominens et magnitudine paene aequans caput humanum, conspiciebatur. Tumor, intestinis remotis, plane rotundus inferiorem cavi abdominalis partem tantum non omnem occupabat. Antica ejus superficies, quae peritoneo obducitur, laevissima erat. Tumorem nil aliud, nisi aneurysma Aortae, esse, jam ante obitum mulieris non in dubium vocabatur.

Cor cum toto Aortae canali caute resectum est. Solus tumor

quinque circiter librarum pharmaceuticarum erat. Maximam tumoris partem sanguinis coagulati stratis constare, ex accuratiori investigatione intelleximus. Quibus remotis, proprium, quod dicitur, aneurysma conspiciere licuit. Ex quo loco Aorta inter duo diaphragmatis crura in cavum abdominis descendit, inde ea dilatari coepit. Quae dilatatio paulatim incresebat usque ad eum locum, qui quatuor digitos a divaricatione in iliacas distat, ubi tumor amplissimus erat, aut saccum aneurysmatis proprium efficiebat; ut Tabula adjecta exhibet. Totius partis dilatatae (*c—e*) longitudo erat undecim pollicum, sacci (*d—e*) fere sex, ejusque latitudo sive diametrus transversa quinque. Arteriae lumen non omnino aequaliter, sed magis anticam partem versus et ab utroque latere dilatatum esse videbatur. In amplissimae partis antica facie rima parva (*i*) conspiciebatur, per quam probabile est non multo ante mortem effluxisse sanguinem, et in textum cellulosum, quod est post peritoneum, se effudisse. Ita, quod ab initio aneurysma verum erat, in spurium, quod dicitur, transibat, eaque causa mortis fuit.

Sedulo et summa diligentia una cum dilectissimo, dum in vivis erat, collega, Ackermann, instituta investigatio satis docuit, omnes Aortae membranas, et internam et musculosam

et cellulosam, ab illo loco revera dilatatas esse. Membranam musculosam et laevem a summa parte aneurysmatis omnibus locis usque ad infimam cultro anatomico adhibito persecuti sumus, unde verum aneurysma fuisse ne dubitari quidem potest.

Passim inter Aortae tunicas per totum ejus tractum: in arcu, in Aorta thoracica et in illa parte, quae aneurysma conformabat, ossea puncta, squamulae et lamellae inventae sunt. Squamulae osseae inter membranam internam et musculosam erant, utrique implicatae. Paene ab exordio tumoris Aortae parietum crassitudo augebatur et in amplissima sacci regione crassissimi parietes erant. In ipso aneurysmatis cavo solida, densa et polyposa quasi concrementa coloris albi, subrubri et rubicundo-flavi alia super alia coacervata erant. Ad summam densitatem in inferiore sacci parte haec massa pervenerat.

Utraque arteria iliaca fuit valde tenuis, praetereaue praecipue memorabile est, eos, quos modo commemoravi, Aortae ramos, qui alias angulum acutum efficiunt, in lineam curvam eamque admodum suppressam abire, uti Tabula monstrat.

Quamquam mihi non sumo tantum aut arrogo, ut audeam de hujus morbi, quem explicavi, ortu judicare et causis, illud

tamen pronunciare haud dubito, illius expansionis, qua subinde affecta est Aorta, causam praeparatoriam sitam fuisse in vitiosa abnormique parietum magnae arteriae conditione, quam arbitror profectam esse ex dispositione rheumatico-arthritis, quam a patre aegroti acceperat, quandoquidem illius, quam dixi, dispositionis non raro apparuerant manifesta per integram ejus vitam vestigia. Atque facile adducor, ut credam, aneurysma originem quidem duxisse ab inferiori Aortae parte, eam vero dilatationem, quam literis d. c. signavi, natam esse serius, postremo finem terminumque illi constitutum ab hiatu aortico diaphragmatis.

Ceterum has observationes qualescunque ut boni aequeque consulas atque me semper ames et diligas, vehementer oro rogoque. Vale.

Scribebam Heidelbergae a. d. IV Jan. MDCCCXVI.

EXPLICATIO TABULAE,
QUAE CORDIS ET TRACTUS AORTAE ARTERIAE DIMIDIAM
MENSURAM NATURALEM EXHIBET.

- a)* Cor.
 - b)* Arcus magnae arteriae.
 - f)* Arteria coeliaca.
 - g)* — mesenterica superior.
 - dd)* Arteriae renales.
 - h)* Arteria mesenterica inferior.
 - kk)* Arteriae iliacae.
-



